

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1265

**Auteur(s) :** Bayeux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1286, 15 juin

**Lieu d'émission :** Bayeux

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Mathilde, veuve de Guillaume Lespec, jure devant l'official du doyen de Bayeux qu'elle ne réclamera rien, à raison de dot, etc., sur un masuage situé paroisse Saint-Étienne de Bayeux et appartenant au chapitre, possédé par son mari quand il l'épousa, et tenu de lui en fief par Raoul Paen. Le chapitre verse à Mathilde 20 sous tournois et la tient quitte de tout.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCXC, t. 2, p. 230-231.

Texte établi d'après a

Universis præsentes litteras inspecturis, officialis decani Baiocensis, salutem in Domino. Noveritis quod, in nostra præsencia personaliter constituta, Matildis, relicta Guillelmi dicti Lespec, defuncti, juravit spontanea coram nobis, tactis sacrosanctis, quod ipsa de cetero, ratione dotis, dotalicii, donationis propter nuptias, maritagii, hæreditagii, seu alia de causa, aliquid per se aut per alium non reclamabit seu faciet reclamari in quodam masuagio, sito in parochia Sancti Stephani Baiocensis, in Franco Vico, in tenemento et dominio capituli Baiocensis, juxta domum quam modo tenet Gaufridus de Poleigneio, presbiter : quod masuagium dictus Guillelmus, ejusdem Matildis maritus, possidebat tempore quo ipse desponsavit eam, et quod idem Guillelmus feodavit Ranulpho dicto Paen, tempore quo vivebat. Juravit etiam dicta Matildis, nunc vidua, quod ipsa, ratione dotis seu alia ratione, dictum capitulum Baiocense super hoc, aut alium causam habentem a dicto capitulo de cetero non molestabit nec molestari procurabit ; et expresse, coram nobis, dictum capitulum, et quemlibet causam habentem a dicto capitulo, super omni jure, quod in dicto masuagio sibi competebat et competere poterat ratione quacumque, quittavit et omnino dimisit pro viginti solidis Turonensibus quos ipsa confessa est, coram nobis, se propter hoc a dicto capitulo recepisse et habuisse in pecunia numerata : volens et concedens dicta Matildis quod, si ipsa secus fecerit, nos ipsam, nulla monitione præmissa, excommunicemus, et faciamus excommunicatam publice nunciari, et eidem, tanquam excommunicatæ et reæ perjurii, in quolibet foro omnem audienciam denegari. Et nos hiis auditis, dictam Matildam ad omnia et singula præmissa, et præcipue ad sacramentum suum super hoc præstitum observandum, condemnamus. In cujus rei testimonium sigillum curiæ nostræ, ad petitionem dictæ Matildis, præsentibus duximus apponendum. Datum et actum anno Domini millesimo ducesimo octogesimo sexto, die sabbati post Trinitatem.